

hodie, ipse et in sæcula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulanti in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improprium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis. Confidimus autem, quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari<sup>1</sup>.

## DE EPISTOLA PETRI I.

MODICUM nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestræ fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur. *Et alio loco*: Propter quod succincti lumbos mentis vestræ sobrii, perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in revelatione Jesu Christi: quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiae vestræ desideriis, sed secundum eum qui vocavit vos sanctum, ut et ipsi in omni conversatione sancti

<sup>1</sup> Hebr. xiii, 1-18.

sitis: quoniam scriptum est, « Sancti eritis, quoniam ego » sanctus sum<sup>1</sup>. » Et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. *Et post aliquos versus*: Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius, renati<sup>2</sup>.

*Et post paucos versus*: Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite. *Et post paululum*: Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. Subjecti estote omni humanæ ordinationi propter Deum; sive regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero honorum. Quia sic est voluntas Dei, ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite; Deum timete, regem honorificate. Servi, subditi estote in omni timore dominis vestris, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias patiens injuste. Quæ enim gloria est, si peccantes et colaphizati, sufferitis? Sed si bene facientes patimini, et patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit

<sup>1</sup> Levit. xi, 44. — <sup>2</sup> 1 Petr. i, 6-22.



nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, hujus livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum<sup>1</sup>.

*Et alio loco*: Similiter et mulieres subditæ sint viris suis, ut etsi qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti ac modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris: « Sicut Sara obediebat Abraham, dominum eum » vocans<sup>1</sup>. » Cujus estis filiæ beneficientes, et non timentes ullam perturbationem. Viri similiter cohabitantes, secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ, ut non impediatur orationes vestræ. In fide autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles: non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicientes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, et videre dies bonos, coërceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. Declinet autem a malo, et faciat bonum; inquirat pacem, et sequatur eam. Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est

<sup>1</sup> 1 Petr. II, 1, 2 et 11-25. — 2 Gen. XVIII, 12.

qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed etsi quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, ut non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe: sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. Melius est enim bene facientes, si velit Dei voluntas, pati, quam malefacientes<sup>1</sup>.

*Et post aliquos versus*: Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit a peccatis, ut jam non hominum desiderii, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessionibus, potationibus, ebrietatibus, et illicitis idolorum cultibus. *Et post aliquos versus*: Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales invicem, sine murmuratione. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus, per Jesum Christum Dominum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit: nolite pavere quasi aliquid novi vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione

<sup>1</sup> 1 Petr. III, 1-17.



gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus super vos requiescet. Nemo autem vestrum patiat quasi homicida, aut fur, aut maledicus; aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine: quoniam tempus est ut incipiat iudicium de domo Dei. Si autem primum a vobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio? Etsi justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Itaque et ii qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fidei Creatori commendent animas suas in benefactis<sup>1</sup>.

Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator; pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontaneæ secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed formæ facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote, vigilate: quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Cui resistite fortes in fide, scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passus, ipse perficiet,

<sup>1</sup> 1 Petr. iv, 1-19.

confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen<sup>1</sup>.

#### DE EPISTOLA PETRI II.

PER quem maxima nobis et pretiosa promissa donavit ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. Vos autem curam omnem subinferentes, ministræte in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem fraternitatis amorem, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim vobis cum adsint et superent; non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando<sup>2</sup>.

#### *Et post paululum:*

Sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos, Deum negabunt, superducentes sibi celere perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat. *Et alio loco:* Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos. Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia im-

<sup>1</sup> 1 Petr. v, 1-11. — <sup>2</sup> 2 Petr. i, 4-10.



munditiæ ambulant, dominationemque contemnunt : audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere, blasphemantes. Ubi Angeli fortitudine et virtute cum sint majores, non portant adversus se execrabile iudicium. Hi vero velut irrationabilia pecora naturaliter in captiorem et perniciem, in iis quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei, delicias, coinquinationes et maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum in avaritia habentes, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam erraverunt. *Et post paucos versus* : Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ, eos qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim illis illud veri Proverbii, « Canis reversus ad vomitum suum : et sus lota in volutabro luti<sup>1</sup>. » *Et post aliquantum* : Cum hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes et properantes in adventum diei Dei. *Et paulo post* : Charissimi, hæc expectantes satagite immaculati et inviolati inveniri in pace, et Domini nostri longanimitatem salutem arbitramini. *Et alio loco* : Vos igitur, fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore tra-

<sup>1</sup> 2 Petr. II, 1-22, et Prov. XXVI, 11.

ducti, excidatis a propria firmitate. Crescite vero in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc et in diem æternitatis. Amen<sup>1</sup>.

## DE EPISTOLA JACOBI.

OMNE gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur : patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non impropert; et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non enim æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino. Vir duplex animo, inconstans in omnibus viis suis. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua; quoniam sicut flos fœni transiet. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit : ita et dives in itineribus suis marcescet. Beatus vir qui suffert tentationem : quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Et post paululum* : Nolite itaque errare, fratres dilectissimi. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. *Et post paucos versus* : Scitis, fratres mei dilectissimi : Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur. Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansue-

<sup>1</sup> 2 Petr. III, 11-18.



tudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Estote autem factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum; hujus vana est religio. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo<sup>1</sup>.

Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. *Et post aliquos versus*: Audite, fratres mei dilectissimi, Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos? Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas, « Diliges proximum tuum sicut te ipsum<sup>2</sup>. » bene facitis. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a Lege quasi transgressores. *Et post paucos versus*: Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Superexultat autem misericordia iudicio<sup>3</sup>.

*Et post aliquantum*: Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam freno cir-

<sup>1</sup> Jacob. 1, 2-27. — <sup>2</sup> Levit. xix, 18. — <sup>3</sup> Jacob. ii, 1 et 5-8.

cumducere totum corpus. *Et alio loco*: Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum et Patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. *Et post paucos versus*: Quis sapiens et disciplinatus inter vos, ostendat ex bona conversatione operam suam in mansuetudine sapientiæ? Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sunt in cordibus vestris; nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, dijudicans sine simulatione. Fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem<sup>1</sup>.

Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? *Item post paucos versus*: Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. *Et paulo post*: Propter quod dicit, « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam<sup>2</sup>. » Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. Appropinquate autem Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores, et purificate corda, duplices animo. Miseri estote, et lugete, et plorate. Risus vester convertatur in luctum, et gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit

<sup>1</sup> Jacob. iii, 1, 2 et 8-18. — <sup>2</sup> 1 Petr. v, 5.



vos. Nolite detrahere alterutrum, fratres. *Et post paucos versus*: Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es qui iudicas proximum? Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in civitatem illam, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus; qui ignoratis quid erit in crastinum. Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis, Si Dominus voluerit, etsi vixerimus, faciemus hoc aut illud. Nunc autem exultatis in superbiis vestris: omnis exultatio talis maligna est. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi. Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, qui fraudati sunt a vobis, clamant: et clamor ipsorum in aures Domini Sabaoth introiit. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra. In die occisionis adduxistis, occidistis justum, et non restitit vobis. Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. *Et paulo post*: Patientes estote et vos, confirmate corda vestra; quoniam adventus Domini appropinquavit. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non iudicemini. *Et alio loco*: Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum: sit autem sermo vester, Est est, Non non; ut non sub iudicio decidatis. Tristatur aliquis vestrum? oret: æquo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini: et oratio

fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus: etsi in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. *Et post aliquot versus*: Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum<sup>1</sup>.

## DE EPISTOLA JOANNIS I.

Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus: si autem in luce ambulamus, sicut et ipse in luce est; societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis<sup>2</sup>.

Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis: sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non

<sup>1</sup> Jacob. iv, 1-20. — <sup>2</sup> I Joan. 1, 6-10.



est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus; si in eo maneamus. Qui dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. *Et post aliquot versus*: Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. *Et paulo post*: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est: et mundus transit et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. *Et alio loco*: Omne mendacium non ex veritate est <sup>1</sup>, *Et post paululum*: Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est: Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit: et peccatum est iniquitas. Et scitis quoniam ille apparuit, ut peccata tolleret, et peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat: et omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. Filioli, nemo vos seducat: Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat, in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet: et non potest peccare; quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli; omnis qui non est justus, non est ex

<sup>1</sup> 1 Joan. II, 1-6, 9, 10, 15-17 et 21.

Deo, et qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. *Et post paucos versus*: Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte in vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere et veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suademus corda nostra: quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ placita sunt coram eo, facimus. Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo. Et in hoc scimus, quoniam manet in nobis, de Spiritu quem nobis dedit <sup>1</sup>.

Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt: quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit: et nunc jam in mundo est. Vos ex Deo

<sup>1</sup> 1 Joan. III, 2-24.



estis, filioli, et vicistis eos; quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus: qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris. Charissimi, diligamus invicem: quoniam charitas ex Deo est: et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est. *Et paulo post*: Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. *Item paulo post*: Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognovimus et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii: quoniam sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor poenam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum<sup>1</sup>.

Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est: et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata

<sup>1</sup> 1 Joan. iv, 1-21.

ejus faciamus. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus: et mandata ejus gravia non sunt. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. *Et post paululum*: Hæc est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos: et scimus quoniam audit nos. *Et post tres versus*: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, et est peccatum non ad mortem. Scimus quoniam omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. *Et alio loco*: Filioli, custodite vos a simulacris<sup>1</sup>.

## DE EPISTOLA JOANNIS II.

NON tanquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc mandatum est, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis. *Et post paucos versus*: Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et Filium et Patrem habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> 1 Joan. v, 1-4 et 14-21. — <sup>2</sup> 2 Joan. 1, 5-11.



## DE EPISTOLA JOANNIS III.

CHARISSIME, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ: quos benefacies deducens digne Deo. Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. *Et post paululum*: Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui bene facit, ex Deo est: qui male facit, non vidit Deum<sup>1</sup>.

## DE EPISTOLA JUDÆ APOSTOLI.

SUBINTROIERUNT enim quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium, impii, Domini nostri gratiam transferentes in Inxuriam, et solum dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. *Et paulo post*: Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes sine timore semetipsos pascentes. *Et alio loco*: Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes; et os eorum loquitur blasphemiam, mirantes personas quæstus causa. Vos autem, charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietate. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, ipsos vos in dilectione

<sup>1</sup> 3 Joan. 5-11.

Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi, in vitam æternam. Et hos quidem arguite iudicatos: illos vero salvate de igne rapientes: aliis autem miseremini in timore, odientes et eam quæ carnalis est, maculatam tunicam.

## DE LIBRO APOCALYPSIS JOANNIS.

SI homines, imo quia homines intelliguntur moneri, cum Angeli monentur, in omnibus eisdem præceptis discimus falsos fratres per patientiam sustinendos propter nomen Dei, et per pœnitentiam ad prima opera bona redeundum, et usque ad mortem persecutiones pro fide tolerandas, et in charitate serviendum. Circa autem finem libri, cum de sancta civitate loqueretur. Non intrabit, inquit, in eam aliquid coinquinatum, et faciens abominationem et mendacium. *Et alibi*: Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et portis intrent civitatem. Foris canes et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes: et omnis qui amat et facit mendacium. Ego Jesus misi Angelum meum testificari hæc vobis<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Judæ 12-23. — <sup>2</sup> Apoc. II, 2, XXI, 27, et XXII, 14-16.